



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Sacerdotes honorandi motiva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

hominem, qui Sacerdotem admittit? S. Cyrill. Alex. l. 4. in Levit. ego sic accipio, quod qui potuerit Christum sequi, & penetrare cum eo interius tabernaculum; jam non erit homo; sed, secundum verbum ejus tanquam Angelus Dei. Primus à Deo Sacerdos est. Eccli. 7. 31. *in tota anima tua time Deum Dominum; & Sacerdotes illius sanctifica.* Similia v. 33. Unde habes, secundum à Deo principem Sacerdotem esse. Velloso in Judith 4. Paræn. 5.

Angelus Domini exercituum est. Malach. 2. 7. Omnes, qui Sacerdotii nomine censentur, Angeli vocantur, Prophetâ attestante, qui ait: *labia Sacerdotis custodiunt scientiam &c. quia Angelus &c.* S. Gregor. hom. 6. in Matth. 11. Angelus, id est, DEI nuntius, Sacerdos Dei verissime dicitur: quia Dei, & hominum, sequester est; ejusque ad populum nuntiat voluntatem. Et idcirco in Sacerdotis pectore *Rationale* est. Ex. 28. 30. & in Rationali doctrina, & veritas ponitur, ut discamus, Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis. S. Hieron. hic.

Sedebitis & vos. Matth. 19. 28. Propter Sacerdotalem scilicet dignitatem. Cajet. in Matth. ecce præmium, dignitatis, & honoris, gloriosa sessio: eritis participes gloriæ meæ in tantum, quod, me sedente in Majestate, vos non stabitis, sed vos quoque sedebitis. Dignitati adjungit officium, ut in dignitate sedendi, & in officio Judicis, assimilentur Christo. De Angelis sæpissime legitur, eos aditare in conspectu Domini. If. 6. 2. Dan. 7. 10. Tob. 12. 15, Castillo Illat. 230.

Licet Angelus de celo. Gal. 1. 8. Non temerè dixit de celo: quoniam Sacerdotes quoque dicti sunt Angeli. S. Chrysost. apud Velloso in Judith 4. Paræn. 5.

Sacerdotalis potestas superat potestatem etiam Angelorum. Licet enim unus Angelus possit unum cælorum movere; tamen minimè potest unum ipsorum cælorum de cælo ad terram tam citò transferre, sicut radius solis emittitur ab ipso solè. Sacerdos verò suo ministeriò transfert verissimum Corpus Christi de Empyrio cælo ad ipsum altare Sacrum. Sacerdotalis potestas superat potestatem Archangelorum: quemadmodum enim Archangeli ad terram possunt mittere Angelos; sic Sacerdos potest evocare ad terras; cum DEI visibilia celebrat Sacramenta. S. Bernardinus tom. 1. f. 20.

§. III.

Sacerdotes honorandi.

Motiva.

Num. 1.

Sacerdotes à Deo honorantur.

Spiritu prudentiæ replevit. Deus Beseleel, & Ooliab; ut faciant vestes Aaroni. Ex. 31. 1. &c. Cur Deus tantam curam gerit in harum vestium artificio? Respondet Tostatus hic: q. 2. ista vestis erat, ut ipse Aaron appareret pulcher in ea, & honorabilis, & reverendus.

Pellem verò, & omnes carnes &c. Levit. 4. 11. Significatur hic, non licere peccata Sacerdotum in publicum jactare; neque in locum

immundum, id est, in detractorum conventicula, in profanas, ac maledicas, linguas: sed curandum esse, ut taceantur; & omnes eorum reliquiæ charitatis igne consumantur. Ribera l. 4. de templo. c. 7.

Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ &c. Deut. 28. 8. Deus discretè minatur lepram iis, qui Sacerdotibus obedire nolunt. Et hæc fuit causa, cur Deus lepræ judicium, & expiationem, detulerit Sacerdotibus; curque voluerit leprosos se Sacerdotibus sistere; ut ab eis leprâ vel mundati, vel adhuc coinquinati, pronuntiarentur: nimirum ut cogerentur se Sacerdotibus humiliare: contra quos superbierant. Cornelius in Levit. 13. 2.

Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus. Jos. 13. 33. Interpretes autumant, possessionem non dedisse, ut supplicium illud à Jacob prædictum Gen. 49. 5. impleretur. *Simeon, & Levi, fratres &c. dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.* v. 7. Verum hæc dispersio non videtur tam culpæ puni- tio, quam honoris exhibitio: erant enim dispersi ut sanguis, ut anima, in corpore. Pun- tur culpa; sed eò modò, ut nulla splendoris videatur offensa. Naxera in Jos. 13. 5. 52.

Iratu: Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate. 2. Reg. 6. 7. In quo ejus peccatum? ob quod tam severe puni- tus? Gravisimorum Doctorem est sententia: quia magnam injuriam irrogavit Sacerdotibus; quia ad ipsos pertinebat asportari arcam, & attendere, nè aliquam injuriam pate- retur. Num. 4. 15. Sylveira in Act. 21. q. 6.

Super cathedram Moysi &c. Matth. 23. 2. Non dixit federunt Sacerdotes, aut Pontifices, propter reverentiam ordinis Sacerdotalis. Lege Evangelium: nunquam invenies Jesum nominasse Sacerdotes, aut Pontifices arguendo: instruendo Prædicatores, ut non prædicent contra Sacerdotes, aut Pontifices, in specie; propter reverentiam ordinis. Cajetanus hic.

Nunc dimittis Servum tuum Domine. Luc. 2. 29. Cur Dei Sapientia non ordinavit, ut Simeon veniret in Bethlehem ad præsepe, sicut pastores, & Reges? Galfridus in alleg. Titellm. hic. Venerant prius pastores ad Dominum; venerant & siderum contemplatores. Simeon forsan venire non poterat: ipse ad eum venire dignatus est, & prævenire eum in benedictione dulcediois. Forsan Sacerdotem honorare voluit. Sylveira hic. q. 22.

Posuit dexteram suam super me. Apoc. 1. 17. Primasius: utique propter Sacerdotium; quò Ecclesiæ Præpositos novimus ordinari: Reliquos tetigit, ut Daniele 8. 18. reliquos Apostolos in Thabor. Matth. 17. 7. Majus dexterâ apprehendere; quàm solò digito tangere. Illi tunc Sacerdotes non erant. Disce, quantò pretiò, & honore, Sacerdotes habendi sint. Sylveira hic.

Num. 2.

Sacerdotes ab Angelis honorantur.

Et responsò acceptò in somnis &c. Matth. 2. 12. Magi, postquam adoraverunt; non jam stellâ

stella eos, sed Angelus suscipit: quia scilicet adorando facti sunt Sacerdotes, cum supplicatione, & munibus, oblati. S. Chrysost. hom. 7. in Matth.

Angelus Domini stans à dextris altaris. Luc. 1. 11. Quare Angelus erat stans hic; cum apud sepulchrum sederet: g. in monumento erat cum sanctis mulieribus: hic in templo cum Sacerdote: illi soli plus reverentiæ tribuens, quàm tribus aliis piis fœminis, ac amore ferventibus. Sylveira hic.

Ecce eris tacens, & non poteris loqui. Etc. Luc. 1. 20. Egreditur Pontifex, in ore gestans incredulitatis indicium: pectore tamen prolis felicissimæ testimonium. Et quia non poterat mysteria explicare verbo; se loqui non posse, indicavit omnibus nutu. Quid tunc? *cognoverunt, quòd visionem vidisset in templo.* v. 22. Cur non agnoscunt incredulitatis poenam? sed quòd gerat pectore prophetiam? O bonam doctrinam! sic Angelus punivit culpam, nè ullam dignitati inferret injuriam: sic est punitum silentio delictum; ut silentium populus putaret mysterium. Naxera in Jos. 13. §. 32.

Et cognoverunt, quòd visionem vidisset in templo. Luc. 1. 22. Disposuit divina Providentia, ut esset suspicio de visione facta; & non de poena inflicta ob Zachariæ incredulitatem. Non enim vult Deus, ut defectus, ac delicta, Sacerdotum populus agnoscat. Sylveira hic. q. 32.

L. 4. vitæ S. Francisci Sales. c. 48. recenset de Poenitentiario suæ diocesis, plerumque suum Angelum tutelarem intuitum; qui antecedere illum solebat, antequam esset Sacerdos: sed, ut primum factus est Sacerdos, illum honorem Angelus recusavit; semperque priorem locum Sacerdoti detulit.

Num. 3.

Sacerdotes ab hominibus honorantur.

Ferdinandus II. auditus est dicere: occurrentibus sibi eodem loco, ac tempore, Angelo, & Sacerdote; se primum Sacerdoti, deinde Angelo, honoris officium persolutorum. Lamormaini Vitæ c. 9.

Regina Æthiopie, Acatholica licet, Patrem Pæzium oravit; ut in festo Apostolorum Petri, & Pauli coram se de rebus divinis haberet sermonem: quod ille non invitatus obivit, Rege etiam præsentem. At, quòd cathedrâ careret, in pedes stetit. Quod conspicatus Rex, è folio se proripit, & scabello insidens, Patrem in thronum invitat, ut ex illo concionem haberet. Rarum profectò exemplum; quodque Optimates omnes in admirationem rapuit. Quâ reverentiâ Sacerdotes etiam à Magnatibus sint colendi, manifestè ostendit P. Janicus thes. rer. Indic. tom. 3. c. 24.

Num. 4.

Etiam Sacerdotes mali honorandi.

Heu! heu! mi frater! cumque planxissent eum, dixit ad filios suos Etc. 2. Reg.

13. 31. Scis, de quo loquatur Propheta Bethel? De Elia, seu Abrahamo, eum loqui putatis. Loquitur de propheta, ob inobedientiam occiso in itinere à leone, v. 24. quem ipse coegerat contra præceptum Domini copulari. En quomodo vel Dei Propheta coli debeant. Tu quidem illum funestissimis nominibus dehonestasses; hic autem, etiam cum ab eo sperare, aut metuere, nihil posset; & licet eum à Deo damnatum videret ad bestias, ob violatum præceptum Domini, fratrem tamen vocat, & virum Dei; suæque ossa cum ejus ossibus, componi jubet, v. 30. Adeò non spernere, sed venerari debemus viros Dei; licet labantur interdum, Deoque jubente plectantur. Peccat Moyses ad aquas contradictionis. Num 20. 12. & à Domino damnatur, sublatâ illi spe in terram lactis. Num idèò despici eum passus? Imò damnatum frequenter alloquitur, non solum visionibus recreat, sed ejus ad preces ignitos angues repressit. Num. 21. 8. 9. Oliva l. 4. Strom. §. Heu! heu!

Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cadis? Joan. 18. 23. S. Cyprianus epist. 65. ad Rogatianum: quæ omnia ab eo facta sunt humiliter, & patienter; ut nos humilitatis, & patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes veros legitime, & plenè, honorari; dum erga falsos Sacerdotes ipse talis extitit.

Sacramentum septem stellarum Etc.

Apoc. 1. 20. Nonnulli horum Episcoporum periti erant, & vitiorum caligine obscurati; & tamen, inter alios bonos, intellis repræsentati, speciosò nomine vocantur: quia in iis munus magis, quàm personæ mores; dignitatis potius officium, quàm hominis opera, attendenda. Rupertus hic: Ecclesiarum Præsules, quamvis aliqui pro vita propria reprehensibiles sint; & angelos, & stellas, appellare maluit, &c. Et rectè quidem: quia Sacerdotes, sive Præsules, quamvis interdum pro suis actibus sint obscuri; pro officio tamen lucent. Ramirez hic. ep. 1.

Qui piè Sacerdoti afficitur, longè majori pietate Deum reverebitur. Etsi cum malus fuerit Sacerdos quispiam, attendit DEUS, quòd suâ gratiâ etiam illum, dignus honore non est, obsequiis fovet; ipseque sibi præmia exolvit. - Nam si per alina os, Num. 22. 28. si per Balaam, scelestum hominem, populi causâ locutus est; multò magis loquitur per Sacerdotem plebis suæ gratiâ. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? S. Chrysost. hom. 2. in 2. Timoth.

Propter bonos Sacerdotes etiam malos honorate; nè propter malos, etiam bonos contemnatis: frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit: nunquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnuntur? non: sed aurum eligitur, & terra contemnitur. Sic

Sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquit. Nam ut apibus herbae non sunt necessariae, sed flores herbarum; flores enim illae colligunt, herbas relinquunt; sic & vos flores doctrinae colligite, & conversationem relinquit; ut quasi inutilis herba arefeat. Author Imp. hom. 43. in Matth.

§. IV.

Sacerdos sit Sanctus.

Ex Veteri.

NEc quidquam est - quomodo ergo possum hoc malum facere &c. Gen. 39. 9. Dicebat Joseph dominae. Similiter dic Sacerdos: non est quidquam, quod non tradidit mihi Dominus in manibus meis, quomodo ergo in tam magnificum Benefactorem peccare potero? Majora in manibus tuis, quam potuerit Putiphar in manibus Josephi. Diez. Conc. 4. in festo Corp. Chr.

Expectate hic, donec revertamur ad vos. Ex. 24. 14. Separavit Sacerdotes à populo; & postea ipsum Moysen intra nubem introire precepit. Vides divisiones? nihil in Sacerdotibus plebejū requiri, nihil popolare, nihil commune cum studio, atque usu, & moribus in conditū multitudinis. Sobriam à turbis gravitatē, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si quae in se erubescit, in te, quem reverendum arbitrat, offendat? S. Ambros. ep. 6. ad Irenaeum.

Tunica hyacinthina. Ex. 28. 31. est Sacerdotum vita, quae tota debet esse caelestis. Hugo Card. in Ps. 131.

Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus. Levit. 1. 5. Addit Sacerdotes: ut in sola oblatione sanguinis, Sacerdotis dignitatem, & munus discerneret. Arcones in Ps. 1. 5. Disc. 7.

Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiae tuae solius. Ps. 70. 16. Ego ne ita abjectus sim, ut inter holocausta privatae utilitatis meminerim? ut delicias Sacramentis anteferam? in gazophylacio telonium cogitem? Oliva tom. 1. conc. 2. in festo S. Luciae V. M.

Sacerdos Domini Eliachim. Judith. 4. 7. Nota honorem Sacerdotis Domini: quasi textus velit, esse Sacerdotes, qui nomen inane habeant. 1. Reg. 1. usque ad cap. 4. nusquam Heli vocatur Sacerdos Domini: nam indulgens liberis officium Pontificis deseruerat. Sacerdos enim Domini ille est, qui Deo addictus ut servus, ac totus Dei homo. Inde nomenclatura nobilissima, *vir DEI, homo DEI*. 1. Reg. 2. 27. 4. Reg. 1. 9. S. Hieron. in Ezech. 18. homo peccati, & filius iniquitatis, non vocatur homo Dei; sicut servus, & famulus Dei; à quo enim quis superatus est,

hujus & servus est. 2. Petri 2. 19. Velloso hic.

Mundamini, qui fertis vasa dmoini. If. 52. 11. Quamto mundiores esse oportet, qui in manibus, & in corpore, portant Christum? Blesensis ep. ad Richardum Londonensem Ep.

Ex Novo.

Et spiritus S. erat in eo. Luc. 2. 25. Laudat Simeonem: quia Christum erat in manibus gestaturus. Quam sanctus debet esse Sacerdos, qui Christum quotidie manibus tractat. Si DEUS Ex. 19. 10. precepit filiis Israel, ut lavarent vestimenta sua ad suscipiendam Legem; quanto major puritas requiritur ad suscipiendum in se ipsum legislatorem? Stella hic. Quaritur: an S. Simeon fuerit Sacerdos? negat Euthymius, Theophylactus, Janfenius, Barradius: quia cum S. Lucas eum tot titulis exornaret, non videbatur honorificum Sacerdotis nomen praetermissurum, si illi congrueret. Quod benedixit Virgini, & Josepho; haec non fecit tanquam Sacerdos; sed ut vir magnae auctoritatis; sicut Jacob Pharaoni benedixit Gen. 47. 10. Communis tamen, & vera sententia est, quod fuerit Sacerdos ex Aaronis filiis. Ita D. Epiphanius, Cyrillus Jerosol. Athanasius, Nyssenus, Carthus. Lyrant. Cajet. Quod Lucas Sacerdotis nomen tacerit, non multum pugnat: quia etiam, ut tenet S. Hieron. cum communi sententia Graecorum Patrum, Job fuit Sacerdos; & tamen Sacerdotium ejus non explicatur; sed tantum dicitur: *vir erat in terra Huf, nomine Job.* c. 1. 1. Et eleganter Lucas in Simeone non exprimit dignitatem, sed virtutes: clarior enim erat animi dotibus, quam Sacerdotali praemiinentia. Sylveira hic q. 17.

Ex Patribus, & aliis.

Vestes Sacerdotis, virtutes significant; quibus debent Sacerdotes ornari, secundum illud Psalmi 131. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Innocentius III. P. de sac. alt. myst. 1. c. 9.

Induebat Sacerdos talarem: significans, quod debet induere perseverantiam Id. ib. cap. 16.

Provideat diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè; ut signum sine significato non ferat; ut vestem sine virtute non portet: ne forte similis sit sepulchro de foris dealbato. Id. ib. c. 63.

Grave est pondus Sacerdotii: prius quippe est Sacerdoti necesse, ut ceteris ad exemplum vivat; ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non eleve: de praedicationis semper ministerio cogitet; intensissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum Regnum Domini, & talenta servis distribuens, dicat: *negotiamini, dum venio.* Luc. 19. 13. Quod profecto negotium verè nos agimus, si vivendo, & loquendo, proximorum animas lucratur. &c. S. Gregor. 1. 2. ep. 39.

li, qui